

non mirabimur &c. art. ultimo : denique non mirabimur &c. Vide similia in eodem authore alibi, ut Principp. IV. 187. Et sanè quisquis considerabit, quàm miræ sint magnetis & ignis proprietates &c. & reliqua, quorum causas &c. in hoc scripto deduxi, facile sibi persuadebit, nullas esse vires in lapidibus aut plantis tam occultas, nulla sympathiæ vel antipathiæ miracula tam stupenda, nihil denique in natura universa, cuius ratio ex iisdem illis principiis deduci non possit &c.

10. Cùm initio Ecclesiastæ aliquoties repetat illa verba : *nihil esse novi sub sole*, regum sapientissimus Salomo, videtur indicare voluisse, se admirationem superasse in talibus &c.

EXERCITATIO LXXXII.

Admirationis ac Dubitationis similitudo.

I. **D**ubitatio & admiratio res sunt adeo affines, ut earum definitiones à nonnullis authoribus fuerint inter se confusæ, quemadmodum in aliis magna cognatione junctis solet evenire. Distinguere enim res maximè affines non est cuiusvis.

2. Au-